

plena virtutibus fovebat et cum
plenebatur spiritualiter ipsa an
te mulieres omnes scientie prece
lente: puto quod intelligit quod aiad
nent. Na alie quide partes gra
mervenerunt. ipa aute plena
gra ab angelo salutata. **Hec an**
telus. Oratio. Illuc viga vesse
florida et fructifera maia vir
go btissima. de qua vincto ille
et singularis flos et fructus pro
dit. qd virtutu spualium gime eru
pit: flos suavissimo emittens
odorem: fructus sapidissimo in
mitens dulcore. flos cuius voi
tas expellit mesticia: fructus
cuius sacietas vlenam dat leticia
Bndicta viga de radice vesse:
bndictus flos: qd de tali ra
dice ascendit. Bndicta arbor bnd
ictus et arboris fructus. Tuo er
go flore me recrea: tuo fructu
ab omni miseria me libera: vigo
maia in eternu bndicta. amen.

De receptioe iohis bap^{te} Ca. iiii

Vit aute in di
ebus illis salz
in diebus hero
dis regis indee.
sacdos quida
noie sachaias

de pace abia: et uxor eius noie

quatu ad observancia ceremonialium:
sine qrela. quatu ad observancia
iudicialium: qz pacifice se ad proxi
mos habebant. Et no eat illis
filius ppt stilitatem: q est causa
specialis muliei. Ex quo appaet
deceptio pcursozis miraculosa: qz
no fuit tantu p natura: sed per
naturam gra divina adiuta. **T**
Iste herodes de pre ydumeo de
cendens fuit alienigena: et ia cep
trum ablatu fuit de iuda: et
ideo tempus adueto xpi instabat: qz
iacob patriarcha spu pp hetico sig
nu aduetus xpi pdirent. qm reg
nu iude ad alienigenam translatum
ess diceb. Non auferet ceptrum
de iuda zc. Et sciendu est hic
q cu moyses uniu instituisse su
mu sacerdotem. cui mortuo unus p
ordine succedet: dauid volens n
pliac cultu domo dmi. de xxiiii fa
milijs q descenderat ab aaro in
stituit viginti quatuor sacerdotes: su
per quos tm unus maior eat et su
mus oim: q dicebat princeps sac
dotu. Instituit etia ut vicissim mi
nistrates p ebdomada a sabbo
usq ad sabbatu tepore vias sue
singuli castimorie student: nec
interi in domu ppam intraret:
sed in domuculis circa templum

msw. 08/11

alte Nr. 352.

Calixtus, G. mit

Samelband mit insges. 67 Disputationen
philosophischen Inhalts, darunter auch
einige mathematische.

Herman. Comingus

c. 13. 13. c. XL.

F. III. 6.



DISPUTATIO ETHICA,
De
 PRINCIPIIS HV-
 MANARVM ACTIO-
 NVM, EX TERTIO ARIST.
 Ethic. lib. desumpta.

Ad cuius theses

D. O. M. A.

In illustri Iulij Iulia, sub praesidio

M. ALBERTI VVESTPHALI
 PEINENSIS,

Publicè respondebit

HENRICVS IVLIVS Niemschneider
 Grüningensis.

*Habebitur disputatio in auditorio maiori 11. Ca-
 lend. Septembr. horis antemeridianis
 & pomeridianis.*

HELM AESTADII,
 Ex Typographeo IACOBI LVCII,

ANNO 1607.





Reuerendissimo, Illustrissimo, præcelsissi-
moq; Principi ac
Domino,

DN. HENRICO IVLIO,
POSTVLATO EPISCOPO HAL-
BERSTAD., DVCI BRVNSVIC. AC
Lünæburg. &c. Domino suo
Clementissimo,

Hasce de Principijs actionum humanarum positiones,

*In humilimæ subiectionis τεκμήριον, & studio-
rum testimonium,*

Humiliter dedicat, demisseq; offert

HENRICVS IVLIVS Riemschneider
Grüningensis, Respondens.

RESPONDENTI.



*Q*uæ semel atq; iterum priuatim audita probari
Audyt, vltius tendere Musa parat.
I felix operum atq; animi, nec cede, priusquam
Vel patrem vincas, æquiparésue tuum.
Si tibi res angusta domi, confide patrono:
Qui pater vt patriæ est, sic tuus esse volet.

HENRICVS MEIBOMIVS,
Poëta & Historicus f.



DE PRINCIPIIIS ACTIONVM
HUMANARVM.

THESIS I.

Virtutes, sicuti & contraria vitia in actionibus occupari, omnibus manifestum est. Cum autem actionum tanta sit varietas, vt etiam earundem non eadem sit natura & conditio, (sæpenumerò enim actiones externâ quidem specie videntur esse bonæ & laudabiles, quæ tamen si diligentius considerentur & æstimentur, deprehenduntur vitiosæ & dignæ reprehensione) non omninò frustraneam operam nos collocasse spero, si de principiis humanarum actionum ex fundamentis Aristotelicis quædam ad sobriam disceptationem proposuerimus.

2. Quamuis autem varia sint, quæ erga virtutem principij locum aliquâ ratione obtinere videntur; *vide Picol. grad. 2. de princip. virt. c. 1.* Nos tamen potiora, magisq; cognitu necessaria seligemus.

3. Ordinemur autem ab enumeratione & distinctione facultatum animæ imitati Aristotelem, qui de virtutibus loquuturus, à distinctione partium animæ exorsus est: ac in *primo Ethicorum c. 13.* quemadmodum, inquit, medico curaturo corpus corporis cognitio: Ita quoq; ciuili curaturo animum, cognitio animi necessaria est.

4. Notandum igitur, quod animæ facultates sint duplices; vna enim ἀλογος & rationis expers est; Altera λογική & ratione prædita. Hanc autem diuisionem in præsentis loco

pro vero acceptamus, curiosæ demonstrationis ἀνελευθερία neglecta, ne πάρεργα τῶν ἔργων prolixiora fiant.

5. Porro irrationalis pars itidem duplex est: Vna enim nata est aliqua ex parte audire rationem, eique obtemperare, quales sunt appetitus sensuum: Altera simpliciter & absolute est rationis experta, puta vis vegetandi & nutriendi &c. De posteriori Ethicus nihil agit; sed de priori tantum videlicet appetitu sensuum.

6. Etenim appetitiones sensuum sunt tanquam subiectum & fundamentum, in quo fit omnium actionum, virtutumque moralium concinna moderatio; recta enim ratio ceu princeps & dux appetitum, qui alias in contrarium fertur, ad verum sui obsequium dirigit & conformat. *vide Picol. grad 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. &c.*

7. Cum enim omnis virtus habitus sit, ea ipsa, ut à mente seu ratione recta regitur, consideranda venit; Omnis enim virtute prædita actio à ratione est, cui sapientiæ adminiculo coniunctum est verum iudicare, voluntatis id, quod præ cæteris optimum videtur, velle, consultationis tandem beneficio & munere accuratam mediorum rationem habere, ea determinare, & appetitus sensuum aurigæ modo ut equos dirigere & gubernare.

8. Appetitus enim sensuum omnia, quæ sibi videntur iucunda, appetit, quæque minus, auersatur, fugit: recta ratione igitur opus est, quæ iubeat, quæ appetenda, & quæ fugienda dissuadeat.

9. Virtus igitur summa est animæ conuenientia, voluntatis & omnis appetitus cum recta ratione saluberrima, & moderatissima consensus, à qua omnes actiones, quæ inde proficiscuntur laudabiles & rectæ; quæ repugnant iniquæ & iniustæ censendæ sunt, habitæ tamen circumstantiarum ratione.

10. Dein-

10. Deinde obiectorum ratione actio quoq; examinanda est, quæ, quia sæpè variant, & cum appetitu non eodem modo conspirant, pro diuersitate nostri appetitus ex obiectorum diuersitate orti, etiam in agendo erit diuersitas; unde principia illa virtutum, actionumq; nostrarum orta, de quibus *philosophus lib. 3. Eth.* agit.

11. Duo autem in operante secundum virtutem Arist. præcipuè requirit: Primum vt *sciens*: Deinde vt *volens* habito delectu, eligensq; illud, quod bonum est, agat. Oportet enim agentem non solum *scire* quid agat; sed etiam id ipsum *velle*: Et vice versa nõ solum oportet eum velle agere quæ agit; sed oportet eum quoque scire quid agat. Quod si verò alterum horum abfuerit, non poterit reuera propter suam actionem laudari, etiam si fuerit bona, vel reprehendi, si fuerit mala.

12. Recta namq; ratio promptaq; voluntas in actionibus semper indissolubili nexu sunt coniungendæ.

13. Hæc ergo quâ ratione in actionibus consideranda sint, & quomodo secundum ista actiones sint æstimandæ & iudicandæ, Philosophus moralis docere debet, & docere quid sit spontaneum, quid inuitum, quid consultatio, quid electio, quid voluntatis humanæ libertas in actione.

14. Nam, propter quam rem actiones laudantur vel vituperantur, item veniam, misericordiam aut poenam merentur, de ea etiam Morali Philosopho in doctrinâ de virtutibus est agendum. Sed propter spontaneum & inuitum actiones laudantur, vel vituperantur, merentur veniam vel poenam. Ergo de his Morali Philosopho est agendum.

15. Item, Quæ res utilis & necessaria est legumlatoribus in constituendis poenis vel præmijs factorum: eam etiam Philosophus Moralis in doctrina de virtutum actionibus debet considerare: Nam Philosophia moralis est *fons, origo & fundamentum legum*. Sed cognitio spontanei & inuiti utilis &

necessaria est legumlatoribus in constituendis præmijs aut
pœnis. Igitur de his etiam Philosopho morali est agendum.

16. Minor propositio per se nota est: Non enim eadem
pœnâ afficiendus est is qui inuitus, & is qui volens peccauit:
Immò ille, scilicet inuitus sæpè meretur veniam: hic autem
nunquam: Immò etiã lege diuinâ tales absolui possunt, qui
non volentes homicidium perpetrarunt, vt habetur *cap. 35.*
Num. & cap. 19. Deut. Et Deus ipse populo Israelitico sex ci-
uitates constituit ad quas tales deberent habere refugium.

17. Inuitum igitur tanquam notius, prius nobis decla-
randum erit: ex huius enim descriptione, spontanei cog-
nitionem assequemur facilè, quia *contraria iuxta se posita magis*
elucescunt.

18. Inuitum dicitur quod quispiam vel vi coactus vel per
ignorantiam admittit: vt ita duæ sint inuitæ actionis ratio-
nes, violentia & ignorantia, quas distinctius iam considera-
bimus, à violento initium facientes.

19. Violentum seu actio violenta dicitur, cuius princi-
pium foris est, nil conferente eo, qui agit, aut patitur; vt cum
sæua tempestas nauigantem reiecerit, quò minus ad destina-
tum diem loco certo compareat.

20. Ex hac definitione violenti possumus colligere tres
conditiones, quæ requiruntur vt actio aliqua reuera possit
violenta nominari. *Prima* est, vt principium seu causa mo-
uens sit extra agentem: Nam quæ ab internis principijs mo-
uentur, tales actiones non sunt violentæ. *Altera* est, vt princi-
pium illud externum sit satis validum & sufficiens ad illam
actionem perficiendam. *Tertia*: vt agens vel patiens planè
nullum consensum aut adiumentum præbeat. Cùm verò v-
na aliqua ex his conditionibus abest, non potest illa actio
planè violenta nominari.

21. Violentæ igitur existimandæ non sunt, quæ metu
maiorum

maiorum incommodorum, aut maioris commodi spe suscipiuntur, ut si quis à tyranno coactus pulset vicinum, ut sibi vitam redimat, aut si mercator, obortâ tempestate, pro salute sua & aliorum, qui simul nauigant, ad exonerandam nauem proijciat suas merces in mare.

22. Nec tamen voluntariæ dici possunt; cùm nemo vltro merces eijceret, nec vir bonus sponte mala ageret: Mixtæ igitur sunt, sed tamen ad voluntarias magis accedunt, idque ob sequentes tres rationes.

23. Prima; Quarum actionum fines & circumstantiæ sunt in nostra potestate & electione, istæ actiones sunt spontaneæ magis quàm inuitæ. Sed talium actionum finis & circumstantiæ sunt in nostra potestate & electione: suscipimus enim illas vel ad insigne bonum consequendum, vel ad maius malum euitandum. Ergo tales actiones sunt spontaneæ magis quàm inuitæ.

24. II. Quarum actionum principium & causa est in ipso agente, hæ magis spontaneæ quàm inuitæ sunt nominandæ. Sed talium actionum, quæ mixtæ nominantur, principium & causa sunt in agente. Ergo tales actiones potius spontaneæ, quàm inuitæ sunt nominandæ.

25. Maior sumpta est ex definitione spontanei: Minor etiam manifesta est: principium enim mouendi membra, quæ sunt instrumenta actionum, est in ipso agente: Sic mercator etiam potest manus admouere mercibus, quas in mare proijcit: potest etiam manus prohibere ne abijciat merces.

26. III. Propter quas actiones rectè interdum laudari & vituperari possumus, hæ magis spontaneæ, quàm inuitæ sunt nominandæ: Nam propter inuitas actiones nemo potest iure & meritò laudari & vituperari. Sed propter huiusmodi mixtas actiones interdum aliqui iure & rectè possunt vel
laudari,

laudari, vel vituperari. Ergo huiusmodi mixtæ actiones magis sunt spontaneæ, quàm inuitæ nominandæ.

27. Minorem probat Aristoteles per distributionem, quâ facit quatuor species mixtarum actionum: prima est: Qui molestiam aliquam subit: aut aliquid agit, quod indecorum est, deforme aut insolens, vt inde rem aliquam honestam & præclaram consequatur, eum laudare solemus. Ita Solon pro patriæ commodo insaniam simulauit.

28. Altera species mixtarum actionum est, quando propter exiguum aliquod bonum admittimus aliquid, quod minus nos decet. Tales actiones sunt meritò reprehendendæ: Nam non facilè debemus adduci, vt præter decorum aliquid faciamus, nisi videamus inde bonum posse non tam nobis, quàm alijs euenire.

29. Tertia: Qui turpe quid agit grauissimis impulsus causis, quas nemo alius sustinere posset: vt qui inter sæuissimos torturæ cruciatus, heri sui arcana prodit, ei veniam concedimus.

30. Qui verò parricidia admittunt, fidem abnegant, in Deum blasphemi sunt: eos simpliciter execramur. Ad talia enim nullus vir bonus se cogi patitur: sed extrema quæque subeunda & mortem potius oppetendam ducit.

31. Neque etiam illa pro violentis effectibus habenda sunt: quæ voluptatum & dolorum stimulis committuntur: forent enim hac ratione omnes actiones humanæ inuoluntariæ, cum omnes omnia propter voluptatem agant, & propter dolorem omnia fugiant.

32. Et, si iucunda molesta essent, dolorem afferrent & molestiam, sicut inuita solent. Nam vbicunq; est vis & affertur, ibi & molestia quædam & dolor. Videmus autem illa nos magnoperè delectare.

33. Demonstratur etiam assertionis nostræ veritas hac ratione:

ratione: Ad quæ natura nostra vltro & sponte fertur, ea non sunt violenta nominanda. Sed ad ea quæ sunt iucunda, natura nostra vltro & sua sponte fertur. Ergo iucunda non sunt violenta, & per consequens iucunditas siue voluptas, quæ inest prauis actionibus non violenter cogit homines ad peccandum.

34. Ignorantiam verò quod attinet, neq; illa actionem semper facit inuitam: quos quidem post factum errore deprehenso poenitet, eos inuitos egisse putamus: Quos autem tum non poenitet nec volentes dicere possumus: cum quid agerent ignorarent; nec etiam inuitos: cum nihil videantur contra voluntatem egisse. Itaque, intermediâ voce, non sponte peccasse dicendos arbitramur.

35. Sed vt omnia rectius intelligantur: Sciendum est quod agens, vel *ignorans* agere dicatur, vel *per ignorantiam*: Ignorans agere dicitur is, qui tunc quando agit ignorat quidem, quid agat: sed tamen ignorantia illa non est causa præcipua eius actionis: verum aliud quoddam, per quod sibi ignorantiam accersuit.

36. Per ignorantiam autem siue ex ignorantia agere dicitur is, cui ipsa ignorantia fuit causa actionis malæ, aut peccati: In hac distinctione notandum est, quod prior ignorantia non meretur excusationem seu veniam, neq; reddit factum agentis inuitum. Posterior autem ignorantia, quando ipsa ignorantia est causa delicti, meretur veniam & reddit factum inuitum, si nimirum habeat subsequenter poenitentiam.

37. Deinde distinguendum est inter *ignorantiam iuris* seu vniuersalium, quæ versatur in generalibus, quæ vnusquisque scire & potest & debet: & inter ignorantiam particularem, quando agens ignorat quasdam circumstantias rerum singularium vel personarum, loci, temporis, & similium, in quibus

B

totius

totius actionis præcipua vis consistit, quas tamen per se ante actionem non potuit præuidere, aut præcauere. Hæc nominatur *ignorantia facti*, quia agens ignorat ipsum factum, quod admittit.

38. Ignorantia hæc particularis caret dolo, nec fuit nostrâ culpâ, aut negligentia accersitâ, reddit actionem inuitam & meretur veniam: quia voluntas agentis non est causa delicti: Imò agens habuit sibi finem bonum propositum: sed ignorantia alicuius circumstantiæ cum inter agendum impediuit, quò minus eum finem, quem sibi habebat propositum, assequeretur.

39. Postremò, disputandum est hîc cum illis, qui dixerunt ea, quæ homines ex ira, cupiditate, aut aliquo vehementiori affectu faciunt, esse inuita ac idè mereri veniam.

40. Hanc autem opinionem falsam esse probat Aristoteles aliquot argumentis. Primum: Si ea, quæ homines ex irâ, aut alio aliquo affectu faciunt, non sunt spontanea, sed inuita: Igitur nullum animal imò nec pueri quidem, quicquam sponte dicuntur facere. Nam omnia quæ agunt, ea ex cupiditate, aut affectu agunt: neq; enim ex ratione possunt agere, quia vel omninò ratione carent, vt bruta animantia: vel vsu rationis carent, vt pueri: Hæc autem quia sunt absurda. Igitur & absurdum est antecedens.

41. II. Si ea, quæ per cupiditatem, iram aut alium sunt affectum, sunt inuita: Igitur non solum turpia facta, sed etiam multa honesta facta, quæ ex cupiditate aut affectu aliquo proficiscuntur, erunt inuita nominanda, & sic omnes actiones hominum tam bonæ, quàm malæ essent inuitæ nominandæ, & hoc modo etiam tolleretur omnis libertas hominis in actionibus, quæ omnia sunt absurda.

42. III. Si omnia, quæ per iram, cupiditatem, aut alium affectum fiunt, sunt inuita: Igitur ea etiam inuita sunt nominan-

nominanda, quæ vir bonus ex officio facere debet: vnde sequeretur virum bonum facere inuitum officium, quando cupit officium: sic etiam sequeretur, quod aliquis diceretur inuitus expetere sanitatem, diuitias, doctrinam, laudem, virtutem, gloriam, & his similia: is diceretur inuitus amare patriam, parentes, &c. idem diceretur inuitus irasci improbis & sceleratis hominibus, inuitus gaudere, & latari rebus secundis, dolere rebus aduersis, meliora sperare. Omnia enim ista coniuncta sunt cum aliqua cupiditate, aut affectu.

43. IV. Si omnia, quæ per iram & cupiditatem fiunt sunt inuita: Igitur etiam molesta & coniuncta cum dolore: Omne enim inuitum etiam molestum est. Sed ea, quæ ex cupiditate & irâ fiunt, non sunt molesta, sed potius iucunda ipsi agenti: Igitur non sunt inuita.

44. Postremò: Si illa inuita vocant: quia improba sæpè sunt: etiam inuita vocabunt, quæ à ratione peccantur: quæ tamen illi inuita esse negant. Taceo nunc, quod affectus nostri principium suum in nobis habent & omninò in nobis oriuntur: quorum verò principium & causa in nobis est, ex ijs non potest inuita actio effici.

45. Declarato ita spontaneo, quia non omne spontaneum constituit virtutem, sed illud, quod cum electione cõplicatur, nunc de *Electiõne* agendum est, quæ virtuti familiarissima & intima est, eamque magis determinat, quàm actus externi.

46. Latius autem patet spontaneum quàm electio, quia omnis electio est spontanea, sed non omne spontaneum est electio. Quia electio tantum tribuitur hominibus adultis, qui certo consilio & ratione aliquid agunt. Spontaneum autem non solum adultis hominibus, sed etiam pueris & bestijs potest attribui, qui agunt quidem spontè: non autem ex consilio & ratione: & quæ repente à nobis fiunt, sponte

quidem facta sunt, sed sine electione: ea enim requirit deli-
berationem.

47. Proinde longissimè à veritate aberrant, qui Electio-
nem cum ira & cupiditate confundunt. Neque etiam idem
cum voluntate dici potest, licet ei sit finitima: Nam volun-
tas est etiam eorum, quæ fieri nequeunt, vt immortalitatis:
At Electio eorum est tantùm, quæ sunt in nostrâ potestate:
Et voluntas magis est finis, Electio verò eorum, quæ sunt
ad finem.

48. Præelectio igitur tale spontaneum est, quod præce-
dit consultatio, ex qua quæ optimè iudicata sunt amplecti-
tur, eaq; in finem dirigit. Quâ de causâ vt electio rectius co-
gnoscat, consultatio consideranda est potissimùm.

49. Non autem omnia sunt βέλβητα: sed illa tantùm, de
quibus homines sani & prudentes deliberant: eiusmodi sunt
res in potestate deliberantis positæ, nec tamen omnes: Nam
quæ certa sunt deliberationi non subiacent, quæ est collatio
mediorum, vt certum & optimum inueniatur.

50. Incerta igitur recipiunt deliberationem ea, quæ in
medijs hærent, quæ si plura sunt, inter se conferuntur, vt e-
liciat, optimum, si vnum est, quomodo applicandum sit,
disquiritur, ita, vt electionem semper præcedat consultatio.
Electio enim tum accedit quando consultabile quoddam,
appetibile visum fuit.

51. Vnde definitur Electio, quod sit deliberatiua appe-
titio rerum earum, quæ sunt in nostra potestate.

52. Cum verò ad electionem voluntas etiam pertineat,
omnia enim quæ eligimus & volumus: Ita vt à προαιρεσις vo-
luntas nunquam sit separata: Propterea rectè quoque ea re-
fertur & numeratur inter actionum principia: quia actiones
etiam ex voluntate agentis æstimantur, quemadmodum Cic.
lib. 3. offic. ait: *Id quod rectè fit id demum iustum est, si est voluntariū.*

53. Obie-

53. Obiectum autem voluntatis nonnulli statuerunt *re-
uera bonum*, non aduertentes, quod homo improbus malum
expetat: nonnulli *apparens tantum*, qui nullum relinquunt vo-
luntati verum obiectum.

54. Neutrum igitur genus nos excludendum putamus,
sed vtrumq; coniungendum esse. Quod enim reuera bonum
est, id simpliciter voluntati subijcitur: Apparens autem li-
cet simpliciter exoptabile non sit: alicuius tamen voluntati
subijci videtur: eius nimirum, cui bonum apparet.

55. Ex his omnibus apparet *virtutes & vitia in hominis
arbitrio esse posita*: Nam in quibus possumus agere, in his et-
iam possumus non agere: & si tam turpia, quam honesta age-
re, & non agere est in nostrâ potestate: hoc autem est bo-
nos & malos esse: Situm igitur est in nobis probos & impro-
bos esse.

56. Etenim homo principium & procreator actuum suo-
rum est. Quorum igitur principia in nobis sunt,
ea sponte à nobis fiunt.



B 3

QVAE-



QV A E S T I O N E S.

I.

AN omne peccatum Ethicum sit voluntarium?

II.

An homo sponte fiat malus, sponte q³ peccet?

III.

Utrum virtutes morales sint habitus non voluntatis: sed appetitus sensuum?

IV.

An perturbationes & mores sequantur corporis temperamentum?

F I N I S.





QUESTIONES

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



94 A 7363

ULB Halle 3
002 826 550



5b.

V47

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
Campus in Berlin-Potsdam
Via Lorenza kam für illu



visibile voluit ex uirgine sumere: con-
grue debuit corporali specie apparere
formavit autem angelus corpus
sibi lucidum: quod secundum Augustinum facie
rutilans et veste choruscans uir-
gini apparuit. Conuenienter uero
uirgini annuntiatur incarnatio uerbi:
ut scilicet prius ipsum inciperet men-
te quam carne. Mutans ergo
angelus nomen eue. dicit uirgini
aue: indicans eam ab omni ve-
beram. Que bene gratia plena di-
citur: quod alijs ad mensuram gratia
datur: hec autem sola gratia
quam nulla alia meruerit conse-
cuta est: ut gratie impleretur
auctore. Que cum gratia plena sit.
prius etiam quam accipiat: post accep-
tionem quantum dei habundat gratia
quis cogitare possit? Unum ieronimus
Et bene plena: quod ceteris per partes
prestatur gratia: maiore uero simul
se totam infudit gratie plenitudo:
uere gratia plena: per quam largo sancti
spiritus umbre perfusa est omnis
creatura. Que celis dedit gloriam.
terris deum pacemque refudit: fide
gentibus finem uicij: uite ordinem.
moribus disciplinam. Dicitur
quoque ei dominus tecum. scilicet sit in uen-
tre. qui tecum est in animo: adimplet
ventrem. qui adimplet mentem.

quod et si tota saluatio angelus in se
uirgini gratissima: ista tamen clausula
dominus tecum potissime eam delectat
ideo singulari deuotione dicitur de eam
Licet enim iam eam in uirgine: non
tamen misit nuncium: quod modo singulari uo-
luit esse secum. Hec etiam sola per
omnes mulieres et super omnes mu-
lieres benedicta predicatur. Cum
mulier subiaceret maledictioni dei
ut legis: nam corrupta subiaceret ma-
ledictioni dei quod ait In dolo par-
es: uirgo maledictioni legis non
erat. maledicta sterilis: sed inania
utrumque maledictum uitauit: maledic-
tionem dei. quod uirgo promissit: maledic-
tionem legis: quod filium habuit. Unde
ipsa primicia uirginum dum primo
uiginitate sua de obtulit. maledic-
tionem legis aboleuit: et merito benedicta
dicitur: per quam mundus a maledic-
tione liberatur. Et notandum
quod super hac saluationem nunquam ho-
mo uenire ualebit: nec alius
excellens dulcis et gratiosus uirginem
salutem potit: quam dicitur sa-
luatioem quam ipse deus per dicitur
et per angelum ei destinauit. In quo
uobis singulis dulcissima implen-
tur mysteria. Nam deus per eam
sua omnipotentia confirmat: ut
esset inimicus ab omni ue-



35



TATIO ETHICA,
De
 CIPPIIS HV-
 RVM ACTIO-
 X TERTIO ARIST.
 nic. lib. defumta.
Id cuius theses
 O. M. A.
Iulij Iulia, sub praesidio
 TI VVESTPHALI
 PEINENSIS,
publicè respondebit
 S IVLIVS Niemschneider
 Grüningsis.
atio in auditorio maiori 11. Ca-
embr. horis antemeridianis
& pomeridianis.
 MAESTADII,
 apheo IACOBI LVCII,
 ANNO 1607.



44 E

